

Mythologia, Francfort, 1581 - VII, 04 : De Centauris

Auteur(s) : Conti, Natale

Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre X

Ce document a pour résumé :

[Mythologia, Francfort, 1581 - X \[85\] : De Centauris](#)

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre VII

Ce document est une version augmentée de :

[Mythologia, Venise, 1567 - VII, 04 : De Centauris](#)

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre VII

[Mythologie, Paris, 1627 - VII, 05 : Des Centaures](#) est une transformation de ce document

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre VII

[Mythologie, Lyon, 1612 - VII, 04 : Des Centaures](#) est une traduction de ce document

Informations sur la notice

Auteurs de la notice Équipe Mythologia

Mentions légales

- Fiche : Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : Münchener DigitalisierungsZentrum (MDZ).

Citer cette page

Conti, Natale, *Mythologia* Francfort, 1581 - VII, 04 : De Centauris, 1581

Projet Mythologia (CRIMEL, URCA ; IUF) ; projet EMAN, Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle)

Consulté le 14/01/2026 sur la plate-forme EMAN :

<https://eman-archives.org/Mythologia/items/show/6004>

Copier

Présentation du document

Publication Francfort, André Wechel, 1581

Exemplaire Regensburg (Allemagne), Staatliche Bibliothek, 999/Hist.pol.1307

Format in-8

Langue(s)

- Grec ancien
- Latin

Pagination p. 720-724

Des dieux, des monstres et des humains

Entités mythologiques, historiques et religieuses [Centaures](#)

Notice créée par [Équipe Mythologia](#) Notice créée le 28/12/2018 Dernière modification le 25/11/2024

sagitta aprum percussisse dicat, ut est in hist. 102. chil. 7. apud Zezem. Quanta fuerit magnitudinis hic aper vel ex eo patet, quod vnus eius dens in hortis Cæsaris fuisse dicitur in templo Liberi patris, haud minor vnus pedis & quadrantis mensura. Ferunt enim multas immanes beluas in hominum improborum perniciem varijs temporibus fuisse à Dijs excitatas, ut Erymanthium etiam & Crommyonium apros, & taurum in Cretenses, quia cum Minos latè mari totam Græciam alluenti imperaret, nihilo maiorem Neptuno quàm Dijs ceteris honorem tribuisset.

Hæc idcirco celebrata sunt à poetis, ut nullum Deorum cultum impune negligi à mortalibus sciretur: sed omnia quæcunque grauius contingunt, siue sterilitas sit agrorum, siue animalium pestilentia, siue immanitas monstorum, vel propter neglectam religionem, vel propter hominum improbitatem consilio & prouidentia Dei contingere: quamuis ita occultæ aliquando sunt causæ, ut videantur naturæ ductu potius, aut congressu astrorum, aut vario Solis motu, quàm Dei voluntate & consilio contingere. nihil sit enim horum sine diuina voluntate. inde fit aliquando, ut quæ minentur sidera, ob Dei bonitatem euanescant; at quæ non fuerant antè visa & præcognita, nos repente inuadant: cum omnia & iustè, & consilio, & certo Dei iudicio fiant. Atque ut summatim dicam, nihil aliud per hæc significare voluerunt, nisi quod propter peccata veniunt aduersa: colendam scilicet Deorum immortalium esse religionem, quam nemo sine calamitatibus & impunè neglexit. at nunc de Centauris dicamus.

De Centauris.

CAP. IIII.

ILLA quæ de Ixione superius explicata fuerunt, nos breuius res facient in Centaurorum explicatione. Dicuntur Centauri Nubis & Ixionis fuisse filij: qui nati sunt ex illa nube, quæ Ixion pro Iunone compressit. Hi dicti sunt in Pelio monte à nymphis educati fuisse, qui adulti cum equabus coniuncti genuerunt Hippocentauros. Dicti sunt autem Centauri, quasi Centuri, cum *κέντρον* pingo significet: quoniam primi hi omnium mortalium pugnare ex equis inuenerunt: apud quos Pelethronius frænum & calcaria reperit, quibus tardiores aut celeriores equi frenarentur aut impellerentur. Hi Theßaliæ populi fuerunt Pelij

Pelii montis accolæ, agrestes planè & implacidi & contumeliosi in omnes viri. Grauis pugna inter hos & Lapithas, qui dicti sunt ita ab Apollinis & Sulbes Nymphæ filio Lapitha, ut ait Posidonius, aliquando exorta est nam cum Pirithous Deidamiam, vel (ut alij maluerunt) Hippodamiam Bysti filiam ducens nuptias celebraret, quòd affines essent Centauri Deidamiae, illos etiam ad conuiuium conuocauit. Isti igitur simul æ vino incaluerunt, & ipsam sponsam, & reliquas Lapitharum uxores petulantius attrectare, & violare denique conati sunt. Id Lapithis non ferentibus grauis pugna in ipsa regia committitur, multiq; ex Centauris in ea ceciderunt, Theseo præsertim adiuuante Pirithoum, ut patet in Scuto Hesiodi his carminibus:

ὅς δ' ἔλ' ὡς ὑπέρβη Λαπιθαίων ἀχμυταίων
καμένα τ' ἀμφὶ αἶακτα, εὐρύαντά τε, περίθεόν τε,
ὁπλία τ' ἐξ ἀδίων τε, φάληρόν τε, πρόλοχόν τε,
μέλει τ' Ἀμπυκίδ' ὡς τιταρήσιον, ὅζον Ἀρης,
Θησεῖα τ' Αἰγείδ' ὡς ἱπείκελον ἀθανάτοισιν
ἀργύρεα, χρύσεια πᾶσι χρυσοῖ τοῦ χι' ἔχοντα.
Κένταυροι δ' ἐτίρωδος ἰσχυροὶ ἠερίθοντο.

*Hic interant Lapithæ, pugnaæ genus, incluta pubes,
Caneæ, Pirithoumque, Dryantaque, & Hoplesæ circum
Pugnantes: circa Prolochum, Exadium, atq; Phalerum,
Morsumq; Ampyciden Titarefion. hic quoque Theseus
Ægides aderat similis Diis ille supernis.*

Aurea tela viri aderant, argentea membra.

Parte alia stabant Centauri deinde frequentes.

Fuit autem poculis primùm, & mensis, & sacris vasis pugna commissa, ut ait Valerius Flaccus in primo Argonaut.

Parte alia Pholæ, multoque infans Iaccho

Rhæcus, & Athracia subita de virgine pugna:

Crateres, mensaque volant, atque Deorum.

Ad extremum verò victoria penes Lapithas fuit, ac Centauri in fugam versi de suis finibus pelluntur, qui fuga se seruiarunt in Pholoë Arcadiæ; ut videtur testari Orpheus in Argonauticis:

ὅς δ' ἀρ' ἔειπε μάχης κορυφαίῳ ὀφρὶμοθύμῳ,
ὅς Λαπιθαὶ κατ' ἰσχυροὶ ἀτασάλιν ἔνικα σφῶν.

*Centautos cecinit, gens virque asperissima bello;
Sculstia penas Lapithæ tamen inde dedere.*

Victi igitur à Lapithis Cētauri nouas sedes sibi querere coacti sunt, & in regionem Perriæborum profecti, pulsos priores illius loci colonis ibi habitauerunt, vt ait Strabo lib. 9. Fuerunt hæc insigniorum Centaurorum nomina, qui in ea pugna fuisse dicuntur: Abas, Arius, Aphidas, Astylus, Amycus, Antimachus, Apheus, Amydas, Albolus, Abryus, Arctus, Bromus, Bianor, Bretus, Brauenor, Cæneus, Chiron, Cyllarus, Cronius, Criton, Craneus, Dictys, Danis, Dyneus, Dryalus, Dorpus, Dorylus, Demoleon, Elops, Erigippus, Eurytus, Eurynomus, Emmachius, Enopion, Grynæus, Gripheus, Herlinus, Hippasus, Hylas, Helinus, Harpagus, Harmandio, Imbreus, Iphinous, Latreus, Lyceus, Lycus, Lycidas, Lycorchthon, Monychus, Minas, Mermerus, Medon, Meneleus, Nessus, Nedon, Nycton, Odites, Ocellus, Orneus, Pholus, Perimedes, Pisenor, Picagnus, Phlegæus, Petreus, Pyreus, Praxion, Pæantor, Rhæceus, Riphæus, Riphæus, Thaumias, Thereus, Thonius, Teleboas, Stripalus, Therocionus, Silanthus, Theramon, Thurius. è Lapithis verò non nullos recensuit Hesiodus in Clypeo. His addiderunt quidam Baium, at non illum tamen qui vrbi nomen dedit Mercurij, vel (vt alij maluerunt) Neptuni filium. quamuis Centaurorum nonnulli, quia durum esset & agreste genus erga omnes externos, vim Herculis senserunt, vt dictum fuit: siquidem his sagittis veneno hydræ infectis vulnerati se lauantes, Anigeri fluminis aquam infecisse dicuntur: ita vt vnda illa teterrimum odorem diu seruauerit, & pisces qui in eo flumine nascerentur esui essent inutiles. At Antimachus in Centauromachia illos ab Hercule pulsos è Thessalia in insulas Sirenum confugisse scripsit, vbi cantibus illarum delectati omnes in apertam perniciem fuerunt attracti. deinde vbi Nessus, & alij Centauri sepulti fuissent, ex iis vulneribus non procul à Calydone, in colle, qui Taphossus fuit nuncupatus, grauissimus odor ad montis radicem suffundebatur, ac tabo simile quiddam manabat, vt ait Strabo lib. 9. Quæ de Centaurorum forma dicuntur, illa fabulosa sunt omnino, vt quæ de illorum ortu. Alij igitur Ixionis filium Chironem fuisse tradiderunt, à quo originem duxerint Centauri. Alij Saturnum cum Philyra Oceani filia congressum inquit cum imperaret Titanibus: mox cum ipsos Rheæ deprehendisset, Saturnus ob pudorem se in equum vertit, vnde Chiron natus dicitur hippocentaurus, omniumque Centaurorum

torum

torum iustissimus, & sapientissimus: qui fuit Iasonis & Achillis pædagogus. illa igitur causa fuisse dicitur, cur Centauri geminam formam sortiti fuerint, equinam scilicet à patre, humanam à matre. Quidam igitur putarunt inferiorem partem ad collum vsque formam fuisse equinam, & ab equino ventre pro collo ventrem & formam hominis consurgere, totamque conspici superiorem partem, ita ut equitantis hominis forma in faciem intuentibus videretur. Quidam putarunt posteriores tantum pedes fuisse equinos, at priores humanos, ut ait Pausanias in Eliacis prioribus. At Lucretius lib. 5. neque hac, neque illa forma esse potuisse Centauros omnino contendit, non solum quod duæ formæ tam diuersæ simul esse non possint, cum altera vigere incipiat, cum altera senescit ac sit inualida, verum etiam quod omnia è certis seminibus oriri necesse sit, atque in omnibus vnâ naturam excellere: cum duæ formæ diuersæ paresque viribus simul esse non possint. quare ita inquit:

Sed neque Centauri fuerant, nec tempore in vello

Esse queunt duplici natura, & corpore bino:

Ex alienigenis membris compacta potestas.

Hinc illinc par vis, & non par esse potest.

Cum Hercules benignè à Chirone aliquando fuisset hospitio acceptus, Chiron breuitatem sagittarum Herculis admiratus eas contractauit, quarum vna dicitur in pedem Chironis decidisse, quare ille dictus est ex eo vulnere fuisse mortuus, & ob eximiam iustitiam, Deorumque cultum inter sidera relatus. Achæus verò & Erasistratus non interiisse Chironem ex illo vulnere inquit, sed centaurea herba, quam centaureum etiam vocant, vulneri adhibita sanatum fuisse: quæ ab ipso postea, ut inuentore vsus eius herbarum, fuit appellata, de qua ita meminit Virg. lib. 4. Georg. quam centaureum vocauit:

Cecrapiumque thymum, & græuolentia centaurea.

& Lucretius libro secundo:

At contrà tetra absynthi natura, ferique

Centauri fudo pertorquent ora sapore.

Est enim & amara, & grauius olens illa herba. Nam prima & simplicior antiquorum medicina fuerunt radices herbarum, ut in his significauit Homer. quibus plerique morbi curabantur:

ἐπεὶ δὲ βίῃαι βόλας παρὰ πρῶτον,

καὶ περὶ δυνάμει.

Contundent manibus.

Quòd si Centaurorum forma omnino in rebus humanis esse non potest, quæ causa antiquos compulit ad hæc ita fabulosè confingenda?

¶ Patuit (ut arbitror) ex rebus Centaurorum gestis quid per hæc significare voluerunt. Nam in tam prodigiosa corporis forma, quæ humanitas, quæ iustitia, quæ temperantia, quæ pietas esse potuit? aut qui dimidium sui beluæ terribilis extiterit, quo pacto non in maximas difficultates ob sua flagitia illabatur, patriamq; & facultates per summam turpitudinem relinquere cogatur? Verùm quoniam suus est virtuti vniuscuiusque locus, potestq; vel in turpi forma aliquando inesse virtus, idcirco ob æquitatem eximiam Chiron fuit inter sidera receptus. Per hæc igitur quæ dicta sunt de Centauris, significare voluerunt antiqui, vino nō esse immoderatè indulgendum, neque cedendum cupiditatibus, neq; manus in res alienas per vim iniiciendas, sed temperantia & iustitia in omnib. vii conuenire cauendosq; esse illos qui turpissimo sunt corpore, quoniam mores plerumq; corpori sunt similes. At cōtrā illum esse finem omnium improborum, ut patriam, facultates, penates, liberos, uxores relinquere cogantur, & extorres aliam patriam sibi per inopiam quærant. Nec me præterit quosdam fuisse, qui primos Centauros equitate inquam inuenisse. At nunc de Cygno dicamus.

De Cygno. CAP. V.

AT verò de Cygno diuersæ fuerunt antiquorum scriptorum sententiæ, quòd eum alij aliorum parentum filium, & alia de causa in anem sui nominis mutatum fuisse, tradiderunt. Nam Cygnus ille qui fuerit ab Hercule occisus, & in anem sui nominis dicitur postea mutatus, fertur fuisse Martis & Cleobulinæ filius, ut traditum est à Posidonio in libro de Diis & heroibus. Fama est hunc Cygnum Martis filium idcirco fuisse ab Hercule trucidatum, quoniam ille in Thessaliâ accedentes aduenas interimeret, cum esset templum patri erecturus è capitibus eorum à se hominum. Fuit & Cygnus Apollinis filius ab Achille cæsus cum militaret ad Troiam, de quo ita scripsit Isacius: *Αχιλλεύς δὲ τὸν παρθένον τῆς Τροίης, ἀνέλας τὸν κύ-*

κνον, καὶ